



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Si aliqua feruntur quam creduntur. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

veritas. Est, inquit, fides qua creduntur ea, quæ non videntur. Sed tamen est etiam fides rerum, quando non verbis, sed rebus ipsis presentibus creditur, quod erit, cum per speciem manifestam se contemplandam Sanctis præbebit Dei sapientia. Sed non proprie hæc dicitur fides, immo fidei merces ad quam credendo peruenietur: ut ex fide verborum transeat iustus in fidem rerum.

Si Petrus habuit fidem passionis, quando vidit hominem illum pati. B

Si vero quæritur, utrum Petrus fidem passionis habuerit, cum hominem Christum oculis percernebat. Dicimus eum fidem passionis habuisse, non in eo, quod credebat hominem pati, quia hoc videbat, sed in eo quod credebat Deum esse, qui patiebatur. Non enim virtus fidei erat, quod crederetur homo pati & mori, quod Iudæus cernens crederet: sed quod crederetur Deus esse, qui patiebatur. Vnde Aug. super illum Psalmi locum, Respondit ei in via virtutis suæ: Laus fidei est, non quia credit hominem illum mortuum, quod & Paganus credit: sed quia credit eum glorificatum & verum Deum. Credit ergo fides Deum mortuum, & hominem glorificatum. Non ergo fuit Petro fides credere hominem illum mori, quod oculis cernebat: sed credere Deum esse, qui moriebatur. Nec nobis etiam fides in hoc meretur, quod credimus hominem illum mortuum, & quod Iudæus credit: sed quia credimus hominem Deum mortuum esse.

Si aliqua sciuntur, quæ non creduntur. C

Post hoc quæri solet, cum fides sit de non apparentibus & non visis, utrum etiã sit de incognitis tantum. Si n. de incognitis tantum est, de his videtur esse tantum quæ ignorantur. Sed sciendum est, quod cū visio alia sit interior, alia exterior, non est fides de subiectis exteriori visioni: est tamẽ de his, quæ visu interiori utcumq; capiuntur. Et quædã sic capiuntur.

*Enarrat
ne in Ps. 101.
concione 2.
tom. 8.*

capiuntur, ut intelligantur, etsi non ut in futuro, *Ad Ro. 10. d*
 quædam a non: quia cum fides sit ex auditu, non mo- *In 13. de tri.*
 do exteriori sed etiam interiori, non potest esse de eo *cap. 3.*
 quod omnino ignoratur, quæ ipsa ad sensum cor- *Es. 12. 7. b*
 poris non pertinet, ut ait Aug. dicens Quamuis ex *iuxta 70.*
 auditu fides in nobis sit, non tamen ad eum sensum *interpretis.*
 corporis pertinet, qui dicitur auditus, quia non est
 sonus: nec ad ullum sensum corporis, quoniam cor-
 dis est res ista, non corporis. Quædam ergo fide cre-
 duntur, quæ intelliguntur naturali ratione: quæ-
 dam vero, quæ non intelliguntur. Vnde Propheta:
 Nisi credideretis, non intelligeretis. Quod Aug. aper- *Aug. super*
 te distinguit. Alia sunt, inquit, quæ nisi intelliga- *Psal. 118. Ser-*
 mus, non credimus: alia, quæ nisi credamus, non in- *monē 18. lib.*
 telligemus. Nemo tamen potest credere in Deum, ni- *9. Cap. 1.*
 si aliquid intelligat, cum fides sit ex auditu prædi-
 cationis. Idem in lib. de Trin. Certa fides ut cunq;
 inchoat cognitionem: cognitio vero certa non per-
 ficitur, nisi post hanc vitam. Ambr. quoq; ait, Vbi *Ambr. super*
 fides, non statim cognitio: ubi cognitio est, fides *Psal. 118.*
 præcedit. Ex his apparet aliqua credi, quæ non intel- *Sermonē 10.*
 liguntur vel sciuntur, nisi prius credantur: quæ dā *circa illum*
 vero intelligi aliquando etiam anteq̄ credantur. *versum, ag-*
 Nec tamē sic intelliguntur modo, ut in futuro sci- *non Domi-*
 antur: & nunc etiam per fidem qua mundantur *na quia.*
 corda, amplius intelliguntur: quia nisi per fidem di-
 ligatur Deus, non mundatur cor ad sciendum eum.
 Vnde Aug. Quid est Deum scire nisi eum mente con-
 spicere firmeq; percipere? Sed & prius q̄ valeamus
 perspicere & percipere Deum, sicut percipitur à
 mundis cordib; nisi per fidem diligatur, non po-
 terit cor mundari, quo, i. ut ad eum videndum sit
 aptum. Ecce hic aperte habes, quia non potest sciri
 Deus, nisi prius credendo diligatur. Supra a. d. Cū
 est, quod nemo potest credere in Deum, nisi aliquid
 intelligatur. Vnde colligitur non posse sciri & in-
 telligi credenda quædam, nisi prius credantur: &

R r

quædam

quædam non credi, nisi prius intelligantur, & ipsa per fidem amplius intelligi: nec ea quæ prius creduntur, quæ intelligantur, penitus ignorantur cum fides sit ex auditu. Ignorantur tamē ex parte quia non sciuntur. Creditur ergo quod ignoratur, sed non penitus: sicut etiam amatur, quod ignoratur. Vnde Aug. Sciri aliquid, & non diligi potest. Diligi vero quod nescitur, quæro vtrū possit. Si uon potest nemo diligit Deum anteq̄ sciat. Vbi sunt illa tria fides, spes, charitas, nisi in animo credente, quod nondum scit, & sperante, & amante quod creditur. Amatur ergo, & ignoratur, sed tamen creditur.

DE FIDE ANTIQVORVM.

DISTINCT. XXV.

PRædictis adiendum est de sufficientia fidei ad salutem. Illis enim qui præcesserunt aduentum Christi, & qui sequuntur, videtur profecisse fides secundum temporis processum, sicut profecit cognitio. Fides quippe magna dicitur cognitione, & articulorum quantitate, vel constantia, & deuotione. Est autem quædam fidei mensura, sine qua nunquam potuit esse salus. Vnde Apostolus. Oportet accedentem credere quia Deus est, & quod remunerator est sperantium in se. Sed quæritur, vtrum hoc credere ante aduentum, & ante legem ad salutem suffecerit? Nam tempore gratiæ constat certissime hoc non sufficere: oportet enim vniuersa credi, quæ in Symbolis continentur. Sed nec ante aduentum, nec ante legem videtur hoc suffecisse: quia sine fide Mediatoris nullum hominem vel ante, vel post fuisse saluum. Sanctorum auctoritates contestantur. Vnde Augustin. ad Optatum. Illa fides sana est, qua credimus nullum hominem siue maioris siue minoris ætatis liberari à cōtagione mortis, & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, nisi per vñū mediatorem Dei & hominē Iesum Christum.

*Ibid. eodem
4. cap.*

Heb. 11. 6.

*Epist. 157.
To. 2. 1. ad
Tim. 2. 6
Ibid. paulo
inferius
In eadē epi-
sto. 157. pau-
lo inferius.
Actuum 4.*